

Chr. Gottlieb Ludwig I
nr. 250/2

Z c
157

ORDINIS MEDICI
DECANVS, SENIOR ET CAETERI
DOCTORES ATQVE PROFESSORES
MEMORIAM
VIRI
EXCELLENTISSIMI EXPERIENTISSIMI
AMPLISSIMI
IOHANNIS GODOFREDI
IANKII

PHILOS. ET MED. DOCTORIS ANAT. ET CHIRVRG.
PROF. PVBL. ORD.

D. XX. IANVARII MDCCLXIV.

ORATIONE ANNIVERSARIA

PIE RECOLENDAM


INDICVNT.

aut. J. Ludwig

UNIVERSITÄTS-BIBLIOTHEK
HALLE
(SAALE)

BIBLIOTHECA
PONICKAVIANA

MEMORIAL
OF
THE
PROGRESS
OF
THE
ARTS
AND
MANUFACTURES
IN
THE
KINGDOM
OF
ENGLAND
FROM
1763
TO
1791
BY
JAMES
SMITH
ESQ.
OF
LONDON
PRINTED
BY
RICHARD
BENNETT
AT
THE
PRINTING
OFFICE
OF
JOHN
BARNES
ST. PAULS CHURCH-YARD
1791





MEDICINA CVLTORIBVS
EXITIOSA.



Vt alimenta sanis corporibus agricultura, sic sanitatem aegris medicina promittit. Quid enim dubitemus hac voce in initio nostrae scriptiois uti, qua CELSVS noster libros de medicina exorsus est, cum eam nec CELSI auctoritas, aut nostra quaedam assensio certam reddat, sed vitae vsus hominumque consentiens opinio firmet. Profecto medicina aegris sanitatem reddit, si ita administretur, ut, quicquid morbosum in corpore est, et virium vitae auxilio non satis subigi atque expelli potest, aut accurato diaetae regimine sensim corrigatur, aut selectis, iisque bene praeparatis medicamentis, ita immutetur, ut nonnunquam vehementi impetu vrgeatur, interdum vero in motibus nimis et exacerbatis, si quidem non nihil sedati sint, leniter remoueatur. His certe praecipua medici

III

eruditi et diligentis in curandis aegris officia comprehenduntur.

Attamen eadem medicina aegris saepe fit exitiosa, si optima quidem in se medicamenta ab iis dispensentur, qui nec morbum, nec vires vitae, ceu reliquias sanitatis in corpore aegroto, diiudicare et ponderare didicerunt, sed omnem vim medicinae in sola empyrica medicamentorum, saepius minus recte cognitorum, et arcanorum applicatione quaerunt; si imbecillia aegrorum corpora vehementioribus saepe remediis exagitentur, et magis frangantur, quam confirmentur; si inertia, nec vlla virtute praedita pharmaca, magnis tamen laudibus saepe celebrata commendentur; si medicamenta minus accurate selecta et praeparata exhibeantur; si tandem diaetae regulae nec animaduertantur, nec vt decet inculcentur. Non enim medicina nuda est remediorum cognitio, sed vera diiudicatio earum functionum, quae in corpore sano naturae conuenienter, et in corpore aegro minus recte eueniunt, ex qua demum apta et opportuna auxiliorum applicatio deducenda est.

Verum medicis etiam artem exercentibus medicina saepe fit exitiosa, qui aliis inseruendo et morbos obortos debellando ipsi consumuntur, nec raro grauissimis morbis corripiuntur. Tristem hanc medicorum sortem tunc temporis non nihil declarauimus, cum tristissimum officium HEBENSTREITIO Nostro, indicanda oratione anniuersaria, praestandum fuit, et *finis officii medentium in morbis contagio nocentibus*, praecipue considerauimus.

uimus. Medici in arte salutari exercenda salutis suae curam non satis habere possunt, sed impetuosos morborum causas se suaque corpora haud raro exponunt, cum non tantum vicissitudines tempestatum, frigoris et caloris, humiditatis et siccitatis continuas mutationes, ut causas morborum experiantur, tetros, saepe ingratos et nonnunquam contagiosos halitus aegrotantium inspirent, delirantibus, melancholicis et maniacis, a quibus laesio timenda est, opem ferant, sed aliis quoque vitae practicae incommodis quotidie afficiantur.

De molestiis autem, quae medentes in artis exercitio opprimunt, et ad morbos aut praematuram saepe mortem disponunt, in praesenti exponere nolumus, quoniam haec potius animum commouet consideratio, quod medicinam etiam cultoribus suis saepe exitiosam cognoscamus. Ac disquisitio quidem operum naturae in fabrica corporum naturalium respectu partium solidarum, et mixtione potissimum ratione partium fluidarum detegenda, et in operationibus suis, per tot elegantissima phaenomena obseruanda et explicanda, tantas nobis offert delicias, ut aerumnosa saepius medicorum vita his oblectamentis quodammodo demulceatur, et sensus tristis, contemplatione infirmorum excitatus, leniatur. Attamen haec corporum indagatio, quae nos ex vna parte gratissimo sensu allicit, cum ad agendum ventum est, taediosos quoque et saepe molestos labores exigit. Praeter continuam enim in colligendis phaenomenis attentionem, praeter lectionem sedulam et repetitam eorum scriptorum,

VI

qui in simili studio versati sunt, praeter idearum, duplici hoc labore collectarum, comparationem et diiudicationem, ipsa observationum colligendarum et tentaminum instituendorum ratio, quae interdum exercitia corporis sanitati respondentia postulat, interdum tamen corpus vehementer fatigare, et, causis morborum varie gignendis, sanitati insidias struere solet. Sunt profecto hae ipsae causae eo magis insidiosae, cum in rerum naturalium contemplatione tanta attentione detineamur, ut ea occupati corporis curam prorsus negligamus, labores, viribus nostris fere maiores, subeamus, nec nisi imbecillitate ipsa moniti, tandem et iusto ferius noxam, sanitati illatam et vix corrigendam, sentiamus.

Quid plantarum consideratione iucundius esse potest? in quarum non solum eleganti et adeo variante fabrica, sed et curiosissima ac successiva partium evolutione, quam vegetationis ratio nobis offert, tanta naturae praestantia conspicitur, ut earum contemplatio nos nunquam exfatiet, sed ad continuum et repetendum semper studium inuitet. Hortorum cultura, quae cum plantarum disquisitione coniuncta est, ob exercitationem corporis in aere libero, saepius puro et sereno, merito inter praestantissima sanitatis praesidia refertur; ideoque et iis commendanda est, qui studiis a naturali scientia prorsus alienis dediti sunt, ut vitae sedentariae nimis adstricti et continuis meditationibus agitati, exercitatione corporis moderata et circulum humorum adiuvante, item aere vaporibus plantarum referto reficiantur, et ad negotia continuanda

tinuanda roborentur. Accuratam autem plantarum cognitionem quaerentes, non eam omnem in hortis repeririunt; ab iis potius examen vegetabilium in loco natali instituendum est, vbi libere agit natura, nec artis adminiculis cogitur, quae, ob largius saepe incrementum concessum, aequalem euolutionem impediunt. Vera itaque plantarum disquisitio nos eo compellit, vt arundinetis ad stagnorum, lacuum et fluminum ripas immergamur, vt ipsum maris fundum perquiramus, vt densissimas et umbrosas sylvas perreptemus, vt per campos late patentes et prata exspatiemur, vt excelsa et salebrofa montium iuga conscendamus, in eorum conuallibus lateamus, et plantas varie per telluris superficiem dispersas inuestigemus, nec prae huius occupationis amore solis ardorem, ventorum impetum, et saepe tempestatum saeuitiam timeamus. Quae quidem naturae contemplatio corporis vires vehementer frangit, et variis morbis, praecipue pectoris affectibus acutis inflammatoriis, vel inde pendentibus etiam chronicis, occasionem praebet.

Non omnibus ea contingit felicitas, quam CAROLVS CLVSIVS expertus est, qui itineribus botanicis per diuersas Europae prouincias instituendis, Florae thesauros auide collegit, in his vero laboribus variis corporis iniuriis ita affectus est, vt fanitas eius multis modis labefactaretur, vt vestigia laesionum, ex luxatione coxendicis et statu hernioso, ad summum senium velut impressa corpori haberet. Attamen strenuus hic vegetabilium indagator, cognitionem plantarum descriptionibus suis nitidis

VIII

tidis et magna cum cura exaratis egregie auxit, ita vt nostro quidem iudicio Botanicorum seculi XVI. princeps omnino dici mereatur. Ex oratione, quam EVERARDVS VORSTIUS in funere CLVSII die VII. Aprilis 1609. recitauit, abunde patet, quantis aeruminis, ex strenuo saepe labore natis, affectus fuerit, nihilo minus tamen aetatem ad octogesimum quartum annum produxit, vt, optimo sensuum vigore praeditus, non nisi longo annorum decursu fessus, diem obiret supremum, et placide obdormiret.

Multos commemorare possemus Botánicos, qui non tam felici euentu vsi sunt, vnum tantum nominabimus PETRVM ANTONIVM MICHELIVM, cuius elogium ANTONIVS COCCHI Mugellanus exhibuit. Et hic in plantis natali in loco disquirendis insigni vsus est attentione, cuius specimen haud mediocre in nouis generibus edidit, in itinere tamen in Baldum montem et reliquas Longobardiae prouincias suscepto, ita defatigatus fuit, vt paulo post graui morbo correptus, cum annum aetatis quinquagesimum sextum ageret, vitam cum morte permutaret, quo celeri nimis obitu spes tantarum obseruationum, ad botanicam pertinentium, nobis erepta fuit.

Vt vegetabile regnum, sic et animale, et minerale suas offerunt delicias, quae strenuos naturae scrutatores ad labores alliciunt, sed ipsis quoque in hac disquisitione onera imponunt difficillima. Haec vero et alia, quae ad medicinae praestantiam non proxime pertinent, sed tantum ad eam melius colendam ducunt, lubenter mittimus, ideo-

ideoque nec earum rerum mentionem iniicimus, quae ad studii physici generalis tractationem pertinent; possemus enim PLINIVM Secundum fumantibus Vesuuii faucibus deglutitum, et RICHMANNVM fulgure electrico in accurata phaenomenorum obseruatione tactum, et alios veteres atque recentiores laudare. Accedamus potius ad molestias et noxas disquisitionis corporum naturalium, quae ad medicae artis exercitium eiusque perfectionem vnice spectant, quibus ipsis medicinam cultoribus exitiosam inueniemus.

Latent nimirum in corporibus naturalibus tam efficaces saepe et agiles particulae, quae corpori animali, imprimis humano applicatae, illud mire mutant. Edunt enim in eodem et salutare et noxios effectus, et noxii saepe prudenti directione in salutare conuertuntur, cum in veneno ipso medicina sit. Hae corporum particulae a medicis sedulo disquirendae sunt; nec melius disquiruntur, quam si in corpus ingestae, vel eidem vario modo applicatae, phaenomena mutationis huius protinus edant. Saepe quidem motus mitiores faciunt, non nisi continuata applicatione percipiendos; hi tamen interdum magis efficaces sunt, et machinam animalem vniuersam concutientes adeo deleteriam vim excitant, vt in vno alteroque grano noxia et venenata vis destructoria inueniatur. Medici itaque, dum vel gustu tantum, vel aliqua etiam simplicium medicamentorum particula assumpta, eorundem vim experiri cupiunt, quo ea aegris postmodum eo certius propinari possint, non erosionis faucium et ardoris sensum tantum, sed saepe etiam dolores, spasmos, aliosque

motus praeternaturales sibi excitant, quibus, si non in instanti, temporis tamen successu laeduntur.

CONRADVM GESNERVM, celebrem seculi XVI, medicum, multis iisque egregiis scriptis clarum, similia tentamina instituisse, ex vita eius a Cl. SCHMIEDELIO descripta patet; licet vero hic simul ostendat, non euinci posse, GESNERVM radice doronici vel anthorae vsu sibi nocuisse, vt nonnulli perhibent, alia tamen exempla virium medicatarum, cum detrimento corporis a medicis tentatarum, non deficiunt.

Nobis certe notum est exemplum magni medici, cuius memoria ordini nostro acceptissima est, qui, cum variorum purgantium medicamentorum vini crebrius in proprio corpore experiretur, quo iis in facienda medicina certius vti posset, tantam intestinis noxam intulit, vt ex angustiis, per nimias stimuli stricturas inductis, et scirrhoso glandularum intestinalium statu, pessimis symptomatibus excrucietur, ex his causis diuturno et doloribus stipato morbo decumberet, et tandem languore confectus periret. Quam caute igitur haecce virtutes medicamentorum experiendi ratio, licet certissima ea sit, institui debeat, quilibet perspicit, qui non salutare semper, sed noxios quoque effectus ex medicamentorum, inprimis heroicorum, actione pendere intelligit, et potissimum considerauit, sensibile systema neruofum, ob consensum late patientem et spasmos inde ortos, non imbecillitati tantum, sed tristissimis aegritudinibus obnoxium fieri, et in variis corporis functionibus praestandis laedi.

Che-

Chemia quidem, quae intimam corporum compagem recludendo, mixtionis rationem in minimis particulis declarat, viam ad cognitionem medicatarum virium omnino pandit: disquisitiones igitur eius auxilio factae omnino praemittendae sunt, antequam varia, ex corporibus naturalibus educta et producta medicamenta corpori aegro applicentur. Sed nec hic medicorum labor incommodis caret. Cl. BECCHERVS, chemicus excellentissimus, sua experientia edoctus, aerumnas eorum, qui docimasticum corporum examen suscipiunt, describit: *nec aulae splendor, nec oeconomiae ratio, nec famae integritas, nec sanitatis vigor quicquam prae carbonibus, venenis, fuligine, foliis et fumis valere possunt - - - forti igne vix non utroque oculo orbatum, periculosis mercurialibus catarrhis infestatum, totum veneno imbutum, suaviter se tamen vivere perhibet.*

Et si vero illi labores, cum quibus mercuriales, arsenicales et saturnini deleterii, saepe et nervis inimici vapores coniuncti sunt, ad docimasiae metallurgicae cultores magis, quam ad medicos pertinent, etsi mitior longe est in plantis, animalibus et nonnullis mineralibus, ad medicinam pertinentibus corporibus naturalibus, mixtarum particularum efficacia: ignis tamen variorumque menstruorum chemicorum vis, penetrabilia omnium corporum recludens, partes minimas mixtas adeo volatiles et efficaces reddit, ut fumi surgentes non tantum pulmonibus noxii sint, sed et in detrimentum aliarum corporis partium applicentur. Quamvis etiam chemiam tractantes non unico semper halitu, venenata et lethifera vi praedi-

to, afficiantur: tamen, cum particulae laedentes crebrius applicentur, corpora paulatim ad aliquam labem, non facile extergendam, disponuntur.

Huius rei vero cogitatio nos ad anatomicam corporis disquisitionem ducit, quae ex hac ipsa causa saepe cum detrimento haud exiguo sanitatis suscipitur. Cum illa fabricam partium corporis euoluat et definiat, maxima in ea cernitur praestantia, ad omnem medicinam dimanans. Nimirum hominis structura, praecipuum eius obiectum, nunquam satis indagari, nec cum aliis animalibus comparari potest, sed subtilissimae partes magis magisque detegendae sunt, quo ex iis structurae ratio et physiologicae conclusiones eruuntur, quae verum fundamentum reliquarum medicinae partium existimantur.

Missis vero anatomes laudibus, damna, sedulam eius administrationem comitantia, tantum a nobis recensenda sunt. Omne quidem cadaver animale mox in resolutionem spontaneam partium, hoc est, in putredinem proclive est, idque eo magis, si homo viuus et aeger particularum resolutionem iam ante obitum pati coeperit. Quando itaque dissectores magno cum studio in his partibus examinandis versantur, teterrimus saepe halitus, ore et naribus ductus, eos inficit, et morbosam dispositionem in corpore efficit. Consuetudini in his incommodis ferendis aliquid tribuimus, et ea, quae in perlustratione partium dissecandarum requiritur attentio, sensum ingratum putridi halitus imminuit, ut plures semper particulae nocentes colligantur. In evolutione autem partium minutissimarum non raro macerationes vel in aqua simplici, vel aliis liquoribus
additis

additis instituuntur, quibus teneriores partes, sed densitate sua subsistentes, subtili contextu celluloso putredine resoluta, magis in conspectum prodeunt; sed his noxia indoles magis euoluitur, et efficax redditur. Licet etiam iniectioes ex cera, sebo, terebinthina, aliisque liquoribus balsamicis, quas anatomicorum industria ad minimos vasorum macandros, eorumque directiones et conuolutiones detegendas inuenit, licet gummosae, aromaticae et spirituosae particulae, quae conseruationi partium animalium nitide praeparatarum adhibentur, putridas et sanitati noxias exhalationes quodammodo coercere et supprimere videantur: tamen non prorsus tolluntur, sed, his accessoriis forte nimis agitatae, maiorem vim nocendi nanciscuntur. Gratus enim odor, qui in oleis vegetabilium est, et spirituosae concentrata odorem putridum non prorsus immutant, sed magis subtilem reddunt, et eius efficaciam systemati neruoso prorsus inimicam efficiunt, quod summe nauseosus odor partium animalium, in spiritu vini diu retentorum, perspicue indicat.

Subtilisatae vero hae partes non subito noxiae sunt, sed, vt reliquae morbosae et contagiosae, viscido sanguinis et humorum naturali quodammodo obteguntur ac inuoluuntur, et forte diu in corpore latentes cum blandis de reliquo humoribus in vasis circumuehantur. Quod si vero aliis de caussis morborum occasionalibus febriles motus in corpore excitantur, et ex iis intimae humorum resolutiones eueniunt, tunc clandestina haec humorum infectio ita mouetur, vt malignitatis symptomata ex ea incendantur, subtiles partes ad crisin aliquam euacuatoriam

XIII

non disponantur, sed potius nervos petant, iisque tenaciter adhaereant, ita vt medicamentis exquisitissimis exhibitis nec eorum efficacia coerceri, nec ipsa per varia corporis colatoria expelli possint.

Si nunc morbum perpendimus, qui IANKIVM Nostrum nobis superiori anno eripuit, cum vix per quadrimestre spatium nobis iunctus fuerit, acrimoniae latentis et tardius euolutae luculentissima deprehendimus indicia. Ille enim, vegeto et non nihil obeso corpore praeditus, iam sub finem anni sexagesimi secundi quosdam languores et initia leuissimi morbi sensit, quem tamen inextante anno superiore ita auctum vidimus, vt grauius per aliquot dies decumberet. Cum vero nulla malignitatis suspicio moueretur, et nonnulla critica signa ex voto apparerent, spes illucescere videbatur, quae cum breui post ad labores suos regressurum esse promitteret. At non solum nos, qui de eius sanitate restituenda solliciti eramus, sed etiam ipse aeger, conditionem suam examinans, ex eo potissimum metu commouebatur, quod nec alimenta appetere, nec vires recuperaret, cum ex somno aliqua resectio accedere potuisset. Inter spem itaque ac metum constituti, die circiter decimo quarto morbi novos motus febri-les oriri vidimus, qui, nisi cum multo languore coniuncti fuissent, reliquias morbi omnino dissipare potuissent: sed noctes infomnes et anxietates continuas, reliquaque his iuncta debilitatis signa, morbi incrementis indicia erant. Lente erumpens purpura alba, criticis motibus nullis adiunctis, sed velut nuncia putridae resolutionis sanguinis, nullis medicamentis studiose electis, ne optimo quidem regi-

regimine, ab adstantibus et ipso aegro accuratissime obseruato, coerceri poterat. Obiit tandem die vicesimo Ianuarii anni superioris Vir praestantissimus, qui in orbis eruditi et Academiae nostrae commodum, et dulcissimae Coniugis Familiaeque charissimae solatium, longissima vita dignus fuisse. Ex animis nostris vix deleri poterit suspicio, quae disquisitiones crebriores morbosorum cadauerum clandestini cuiusdam veneni, venis eius infusi, arguit: quod cum et ipse iam antea variis ex signis percepisset, eius progressum impedire annisus est, idque feliciter praestitisset, nisi morbo vniuersali oborto reliquiae vehementissimae acrimoniae, coctione facta magis euolutae, in perniciem Viri, ad culturam studii anatomici, nati, transiissent.

Merito lugemus hunc Virum, qui et semper, et praecipue, postquam ei Anatomiae et Chirurgiae docendae munus clementissime collatum erat, magna cum cura in anatomes cultura versatus est, et egregia specimina diligentiae suae edidit, quae, quanta commoda ex institutione eius in doctrinae nostrae alumnos redundare potuissent, abunde declarant. Dies vicesimus Ianuarii superioris anni, ob obitum huius Professoris Ordini nostro tristissimus, nos monet, vt nunc hoc ipso die eius memoriam solenni oratione renouemus, et merita eius ideo praedicemus, quo laudabili exemplo Nostri ad studia cum cura colenda excitentur.

Hoc munus in se suscepit Vir Praenobilissimus atque
 Experientissimus CHRISTIANVS FRIDERICVS
 BOERNERS Phil. et Med. Doctör Praestantissimus,
 Ordini

x 3684659

Zc 157
OK

XVI

Ordini nostro suo tempore adscribendus, qui, vt omni eruditionis genere ornatissimus est, sic in arte salutari facienda et praecipue colenda cum laude versatur, et ob singularem in B. IANKIUM amorem, cuius institutione cum fructu vsus est, memoriam Praeceptoris oratione anniuersaria celebrabit, vt inde in moestissimam Viduam et Familiam orbam aliquid solatii redundet.

RECTOREM itaque MAGNIFICUM, COMITES ILLUSTRISSIMOS, PROCERES VTRIVSQUE REPUBLICAE GRAVISSIMOS, nec non ACADEMIAE CIVES GENEROSISSIMOS NOBILISSIMOSQUE ea, qua par est, obseruantia et humanitate rogamus, vt dicto die hora IX. in Auditorio maiori conuenire, huius nostrae pietatis testes esse, suum etiam amorem erga IANKIUM honorifica praesentia declarare velint; praesertim, cum haec mortis recordatio facile possit vnumquemque commonefacere, vt in communi luctu Saxoniae et Academiae Nostrae, quem CLEMENTISSIMORVM PRINCIPVM acerbissima mors ei attulit, Patriae et literarum commoda Deo piis votis commendet, et inprimis precetur, vt summum Numen, ereptis ex aliquo tempore huic Vniuersitati multis Professores, eos, qui nunc docent, vna cum studiosis literarum sua prouidentia tueatur, amore suo complectatur, saluos denique et incolumes conseruet. Dabamus ex Facultate nostra Dominica II. post Epiphantias A. O. R. MDCCLXIV.

L I P S I A E
EX OFFICINA LANGENHEMIA.



VD 18

n.p.



Chr. Gottlieb Ludewig I
nr. 250/R

Zc
157

ORDINIS MEDICI
DECANVS, SENIOR ET CAETERI
DOCTORES ATQVE PROFESSORES
MEMORIAM
VIRI
EXCELLENTISSIMI EXPERIENTISSIMI
AMPLISSIMI

IOHANNIS GODOFREDI
IANKII

PHILOS. ET MED. DOCTORIS ANAT. E
PROF. PVBL. ORD.

D. XX. IANVARII MDCCLX

ORATIONE ANNIVERS

PIE RECOLENDAM

INDICVNT. *au*

